



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Charitas fraterna quomodo probetur: quàm sit an necessaria: misericordia cuiusmodi in alios exercenda: quantis item periculis sese subijcit, qui alios temerè iudicat. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Abnegatio
sui quantæ
sit ex. ell. 16

peti amplius. Nemo est qui ad eum se totum abnegare aut relinquere possit, ut non adhuc abundè habeat quod relinquat. Vna saluatio angelica, cum plena sui abnegatione ad honorem Dei prolata, Deo est acceptior quam integrum psalterium cum voluntate propria, sicut confidentia millies decantatum. Si post perfectam etiam tui abnegationem (ut interdum fieri consuevit) incauto tibi verbum aliquod asperum, aut iracundum elabatur, non est quod hinc animum despondeas, id Deus tuo commodo fieri permittit, quo tuam sic imbecillitatem clarius tibi ob oculos ponat. Ad mentis elationem te incitante diabolo, quam profundissimè in maximam vtilitatem, aut nihilitatem meritorum tuorum te ipsum deicias, ut sic subdant tibi arrogantia cristæ: ac humiliaris tam coram te, quam coram hæc audientibus. Nam si patientiam ac mansuetudinem tuam foris ostentasses, fortè in mentis elationem sublatus fuisses. Proinde quum vigilare delectat, somno quædoque indulgendum erit: quum ieiunare cordi est, manducandum, &c. Hæc omnia ad prædictam vilitatis tuæ considerationem viam tibi sternerent. Homo verè sibi ipsi abnegatus, qui & se & omnia sua penitus reliquit, is ad eum firmiter in Deo fundatus est, Deo ipso ad eum circumdatus est, ut qui attingere ipsum velit, Deum prius attingat oportet. Hunc etiam si quid pati necesse erit, si quid ei acciderit vnquam, ab autore Deo, & per Deum prius ipsi accidere debet, vnde & laporè diuinum longè dulcissimum in Deo cõquirat. Nã sicut ad Deum nullum appropinquare malum, ita ab eodem nulla potest dimanare amaritudo. Quisquis ad istum modum se abnegat, huic nihil prorsus obesse potest, non cõfusio, nõ afflictio, nõ interitum, non diabolus, non quiduis aliud. Quoties autem in similitudinè quandam Dei transit homo, quod scilicet ira charus ei fiat Deus, ut se totum, quantus est, homo abneget, nec aliud quippiam in tempore vel æternitate, quam solum illum Deum suum desiderat, hic plerumque omnium peccatorum suorum consequitur veniam plenè ab ipso, etiam si omnia omnium hominum flagitia solus perpetrasset liberatur. Omnia namque hominum flagitia ad inexhaustam Dei misericordiam, ne tanta quidem sunt, quanta vnica aquæ guttula ad Oceani vastitatem. Nec sanè paruo constat priusquam ad sui perfectam quis abnegationem perueniat. Nam natura quæ sua sunt semper queritans, non nisi labore improbitissimo mortificari valet. Ita tandem abnegatio ista & relictio sui, regia est ad Deum viam, & ad ipsum verticem perfectionis euangelicæ.

Religioso
homini ob
esse nihil
possit.

Charitas fraterna quomodo probetur: quam sit ea necessaria: misericordia cuiusmodi in alios exercenda: quantis item periculis sese subijcit qui alios temere iudicat.

CAPVT IX.

Charitas fra
terna in quo
consistat.

Quisquis Deo per charitatem coniungi desiderat, mortales vniuersos, vniuersali quadam flagrantique charitate diligat oportet, ut eos ad æternam felicitatem pertrahat. Corde quoque sit mansuetus, clemens, materno, quod compassionis adfectu facile moueatur, & omnis paupertatis, miseræ, imbecillitatis omnium hominum particeps sit. Se quoque totum aliorum necessitatibus subueniendis, citra vllam personarum exceptionem effundat. Aliorum prosperitatibus congauius, Deo inde ex animo gratias agat, malis eorum condoleat: sicuti Christus restatur dicens: *In hoc cognoscet omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem eorum habueritis ad inuicem: Et Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur.*

bitur Deus. Et: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Si igitur multum misericors fueris, multum etiam misericordiae consequeris. Si parum misericors fueris, parum misericordiae consequeris. Si omnino misericors non fueris, nihil omnino misericordiae consequeris. Breuiter, quales vis ut tibi peccatis tuis se Deus exhibeat & homines, talem te exhibeas fratri tuo & peccatis illius. Ingenium semper habeas, fauorem & adfectum omnibus & singulis hominibus subueniendi: & vbiunque proximum tuum seu interna seu externa aliqua tribulatione inueneris oppressum, ibi vera animi compassione opem ei & consolationem à Deo exorabis. Sin vero ipse vel consilio vel auxilio prodesse misero quiueris, quantum potes non omittas. Si modicum praestare potes, modico etiam succurras. atque aded (si aliud nihil potes) vel placido humanoq; verbo miserum consolers, & propitiam tibi propterea experieris Domini tui clementiam. In vnoquoque homine sanctissima Trinitatis imago veneranda: & incidentes menti aduersus proximum amarulentiae, melle charitatis diuinæ condulcorandæ, & è vestigio expellendæ. Nemo aspernandus, nemo quantumuis infamis aut flagitiosus temere iudicandus: quin potius seipsum lynceis oculis homo totum perlustrare debet, ac quod in eo splendidum videtur, omnibus modis extenuet, defectus tamen negligentiasq; suas maximi ponderet. Proximus autem candidis oculis inspiciendus, virtutes (si quas habet) in caelum vsque sustollat, ex musca si fieri potest, elephantum faciens: vitia illius excuset, contegat, omnia in melius interpretetur: quæ coram proferre non audeat, ea nec à tergo susurret. Opus parum in se honestum, recta intentione (qua fortè fieri potuisset) excuses, aut alioqui humane naturæ imbecillitati imputes, aut certè Deum, ad illius commodum, id ita fortè permisisse. Denique quod modo forsitan respiscens, Deo reconciliatus sit, tibi multo humilior & sanctior effectus. Postremo, quod si tu tot tentationibus obiectus, tot irritamentis prouocatus fuisses, nulli dubium, quin multò scedius torruisses. Ad hunc modum apitulæ instar ex omnibus optimæ quæque colligere studebis. Mirum quam plerique ad alios dijudicandos sunt oculati, quam seueriorum censores, quam sibi pulchrè Mœuij, qui dum in alijs omnia ad viuū reformare student, & se pariter & alios hæc cum peccato audientes perdunt. Quod profectò non nisi ex sui vana complacentia & aliorum intolerabili contemptu originem habet. O Phariseæ sæcæ, qui alium iudicas teipsum non iudicas? Tu ne lynceus perspicis, quid in intima fratris tui mente absconditum lateat? Quis malus genius tibi indicauit, quo itinere Deus illum ad gratiam suam deducere, aut ad se vocare velit? Quod tibi vni referuauit Deus, quod intus in eius oculis duntaxat perspicuum est, id ne tu (si superis placet) pro rui capitis somnijs hic nobis proferes in medium? Proh stolidam temeritatem, & temerariam stoliditatem. Si vlla esset in te sanæ mentis mica, isthinc coram Deo & omnibus Sanctis pudore totus suffundereris. Non enim hominis alicuius arrogantis, sed diuinæ solius virtutis omne est iudicium. Hæc temeraria alios iudicandi tyrannis, quantas quotidie strages, quanta mala inter homines concitet, ne Demosthenes quidem oratione vlla explicare queat. Si quid habes aduersus fratrem tuum, si iratus tibi fuit sine causa, si damnum aliquod intulit, læsit, contumelia adfecit, vel qualecunq; tandem illud sit, mansuetudinis antidoto protinus illi obuiando, corde placido & misericordi in charitate Dei illum alloquitur, & (si res ita poposcerit, aut tempus tuum fuerit) increpato, sed modeste, ne quum vulnus curare studens, mordacibus dictis decem ei contra infligas. *Roma. 2.*

Deus

Ioan. 7.
Matt. 5.
Luc. 6.
Misericordia quomodo exercenda sit erga proximum.

Aspernandus cur vnamquam nem sit.

Temeraria iudicia reprehenduntur.

Luc. 6.

Iudicium omne temerarium quare pere cuique execrandum.

Roma. 2.

Si Deus te peccantem tolerans, expectauit in multa mansuetudine, ut respicientem aliquando salute bearet æterna, quid magni fuerit, si tu idem facias proximo tuo? Ne igitur fratrem tuum asperneris, sed si lapsus fuerit, lachrymas potius pro illo ad Deum effundas, quemadmodum & pius Dominus pro tuis sceleribus lachrymari dignatus est in cruce. Alioqui certe supra quod homines te modo erigis iudicando, ac condemnando, tot etiam iudicijs subijceris. Quapropter citius linguam tuam mordicus arreptam proprio dente dilaniare debes, quam temere aliquem iudices, verbis duris irrites, contristes, aut ore vipereo obtrectes.

Hebræ. 5.

Quomodo vita & Passio Seruatoris meditanda sunt, & imitanda.

CAPVT X.

1. Pet. 2.
Passio Christi cur meditanda.

Meditatio vitæ & Passionis Christi compendiu Salutis. Fructus meditationis Christi.

Dominus noster Iesu Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius. Itaque cum Christus ipse sit ostium & via, qua iur ad Patrē, & hunc qui sequitur non ambulet in tenebris: ideo summa cum dilectione, inspicere, perpendere, animoq; in sculpere debes sanctissimā vitā, suavissimā doctrinam, amarissimā Passionem Crucifixi Domini tui, ut ipsum imitando, per hæc illius corporalia, ad eiusdem diuinitatem assurgas. Ut igitur Christo conformeris, Deo te ipsam offeras oportet, ad lubenter, æquanimiter, & (vita loquar) Christiformiter, in vera mortificatione, sufferenda pro honore amarissimæ Passionis eius, omnia aduersa, omnes tribulationes, omnia pericula tibi ipso permittente tam interius quam exterius superuenientia: flagrantibus quoque desiderijs ab ipso postulare debes, ut mortis suæ imaginem in corpore & anima tua, pro summo honore & voluntate sua effigiare dignetur, siue id gratum tibi fuerit, siue ingratum: ipsa enim meditatio vitæ & Passionis Christi compendium quoddam est ad ipsam Theosophiam, ad animæ salutem, ad omnia bonæ nam in prosperis hominem deprimit, erigit in aduersis, ad omnes fortunæ salutis casus sui similem facit, ab omni malo auocat, ad omne bonum prouocat. Quid multis? quantum in attenta Passionis Christi meditatione boni consistat, hætenus perspectum fuit nemini. Ipsa est liber vitæ, in quo, veluti diuite quoddam penu, quicquid lubet inuenire licet. Et si omnes omnium libri, vna cum ipsis præceptoribus igne ferroq; interissent: in sola tamen vita Passionis Seruatoris, satis superque eruditionis suppeditaretur nobis. O beatum illum hominem, qui vitam & Passionem Christi veluti scopum sibi semper ob oculos figit. Deus hanc quantam sapientiam, quantam gratiam, quantam peccatorum suorum remissionem, quantam cum Deo pacem hinc sibi promereri & conciliare potest. Si molesta tibi sunt exercitia alia, ad Passionis Christi meditationem confuge, eam præsentem memoria semper recogita. Nam si omnes aduersitates, omnia opera tua conformare, Deoq; in vnione innocentissimæ vitæ & amarissimæ passionis filij sui offerre assuetus fueris, nil planè erit quod tibi durum aut onerosum videri possit: Christus siquidem crucem tecum portabit meritoq; tibi passionis suæ